PROGRAMMA
GYMNASII PRIMARII
BRUNSVICENSIS

QUO

SCHOLARUM A. D. XXIV. APRILIS AUSPICANDARUM

INITIUM

INDICIT

DR. *G. T. A. KRUEGER*,
GYMNASII DIRECTOR ET PROFESSOR.

Inest
de formulae *nihil aliud facere quam* vel *nisi* cognatarumque formularum usu tam pleno quam elliptico commentatio.

BRUNSVIGAE, MDCCCXXXVIII.
IMPRESSIT JOANNES HENRICUS MEYER.

Quum ante hos quatuor annos de Graecorum formulae ἀλλ᾽ ἤ et affinium particularum post negationes vel negativas sententias usurpatarum natura et usu disputabamus, *) ejusmodi quoque attigimus locos, in quibus quum a sententiae ratione neutrum pronominis ἄλλος non esset alienum, illud ἀλλ᾽ tam pro ἄλλο quam pro ἀλλά accipi posset (l. l. §. 28), ut Luc. Amor. 54. (ed. Lehm. T. V. p. 311) τούτους οὐδὲν ἄλλ᾽ ἢ δηλοὺς ἐραστὰς νομίζω. Phal. alt. 2. (T. V. p. 53.) οὐδὲν γὰρ ἀλλ᾽ ἢ ἱεροσυλία τὸ πρᾶγμά ἐστι, (ita Lehm.); inter quae quum abjecta vocali finali omnis scripturae discrepantia in solo accentu versetur, mirum videri non poterat, hanc discrepantiam plerisque inlocis a librariis et editoribus exhiberi. Sunt vero etiam, in quibus plene scriptum ἄλλο ante ἤ inveniatur, ut Xen. Anab. III, 2. 18. ἐνθυμήθητε, ὅτι μύριοι ἱππεῖς οὐδὲν ἄλλο ἢ μύριοι ἄνθρωποί εἰσι. Luc. Asin. c. 32. (T. VI. p. 168.) οὐδὲν ἔφερον ἄλλο ἢ πῦρ. Plat. Polit. VIII. p. 553. d. (ἐᾷ) τιμᾶν μηδὲν ἄλλο ἢ πλοῦτον. In horum numero frequentissimum id genus est locorum, in quo illud οὐδέν, (vel, quod sententia non est diversum, τί) ἄλλο non, ut in locis modo laudatis, ut subjectum vel ut objectum ad idem, quod in altero membro post ἤ invenitur, verbum refertur, sed suum habet verbum aut expressum aut, id quod frequentius est, suppressum, quippe quod ex universo sententiarum nexu facile intelligatur. Quae quidem verba generalioris plerumque sunt significationis, ut ποιεῖν, πράττειν, συμβαίνει, γίγνεται, ἐςί et sim. Cf. Xen. Cyrop. II, 4. 9. εὖ δ᾽ ἴσθι, ἔφη, ὅτι οὐδὲν ἄλλο ποιῶν ἢ τιμῶν καὶ χαριζόμενος. Id. Hist. Gr. VII, 4. 17. οὐδὲν ἄλλο πράξαντες ἢ δῃώσαντες τὴν γῆν ἀπῆλθον. Id. M. S. II, 7. 7. οἴει χρῆναι αὐτοὺς ἄλλο ποιεῖν ἢ ἐσθίειν καὶ καθεύδειν; et omisso verbo illo Plat. Men. p. 80. a. σὺ οὐδὲν ἄλλο (sc. ποιεῖς) ἢ αὐτός τε ἀπορεῖς καὶ τοὺς ἄλλους ποιεῖς ἀπορεῖν. Id. Euthyd. p. 287. d. τί οὖν ἄρτι ἤρου, ὅτι μοι νοοῖ τὸ ῥῆμα; — τί ἄλλο γε; ἦν δ᾽ ἐγώ, (sc. συνέβη) ἢ (sc. τοῦτο ὅτι) ἐξήμαρτον διὰ τὴν βλακείαν; Cujus constructionis plura exempla vide in commentatione nostra §. 29. Denique ex elliptico hujus formulae usu nascitur adverbialis quaedam dicendi ratio, qua unius instar voca-

*) Edita est haec commentatio ad celebranda scholarum aestivarum in gymnasio nostro auspicia anno 1834. Prostat Brunsvigae apud Frid. Vieweg et filium.

buli illud οὐδὲν ἄλλο ἤ orationi inseritur, structura ita conformata, ut difficile sit solutionem afferre primitivae illius formulae significationi accommodatam, ut in his: Thuc. VII. 75. οὐδὲν γὰρ ἄλλο ἢ πόλει ἐκπεπολιορκημένῃ ἐῴκεσαν ὑποφευγούσῃ. (vid. l. l. §. 21); ad quam rationem adverbialis ille interrogativae formulae ἄλλο τι usus proxime accedit, de quo vide ibid. §. 22, ut in Plat. Men. p. 84. d. ἄλλο τι οὖν γένοιτ' ἂν τέτταρα ἴσα χωρία τάδε;

Variis his Graecae locutionis generibus apud Latinos simillima est formula *nihil aliud* (*amplius* et sim.) *quam* vel *nisi*, quae quum et plene et elliptice, omisso ad quod *nihil aliud* referatur verbo, usurpetur, etiam in ea, sicut in Graeco οὐδὲν ἄλλο ἤ, est ubi dubites, num verbi alicujus ellipsis sit statuenda. Ita Nep. Hann. 10. *Neque aliud quidquam egit, quam regem armavit et exercuit contra Romanos;* et Suet. Oct. 83. *Nihil aliud* (sc. faciebat vel agebat) *quam vectabatur et ambulabat.* Contra in loco Liv. II. 32. *Is ... prisco illo dicendi et horrido modo nihil aliud quam hoc narrasse fertur*, dubium videri possit, utrum *nihil aliud* ex *narrasse* suspensum esse voluerit scriptor, an post *nihil aliud* intellexerit *fecisse*, ut in sequentibus: *ventrem nihil aliud* (sc. facere) *quam datis voluptatibus frui.* Aeque ambiguam Heusingeri interpretatio sententiam reddit: Er stellte bloss folgende Erzählung auf. Ad sententiam autem inter has constructiones hoc interest, quod, si *nihil aliud* cum *narrasse* jungatur, significari videtur, totum Agrippae negotium in narrando esse versatum; nihil aliud igitur eum narrasse, quam quae Livius narrata refert; contra si ex omisso verbo *faciendi* pendet, declaratur, Agrippam nulla alia re quam hac narratione ad movendos plebis animos esse usum; quorum alterum significabimus vocabulum *hoc*, alterum vocabulum *narrasse* sono erigentes; (er erzählte bloss *dies*, aut: er *erzählte* bloss dies.) Vid. infra §. 5. Eadem ratio est loci Liv. XL. 15. *Quid aliud quam ingenii fama periclitarer?* sive *fama* legitur, sive, quod Ruperto in mentem venit, *famam.* Aut enim *quid aliud* cum *periclitarer* est construendum, aut statuendum, ex omisso verbo *faciendi* esse suspensum. Quamquam sententiarum nexus veriorem esse priorem interpretationem evincit: nullum aliud nisi famae periculum subirem. Similiter Graece apud Epict. Ench. c. 49. τί ἄλλο ἢ γραμματικὸς ἀπετελέσθην ἀντὶ φιλοσόφου; ubi τί ἄλλο potest quidem constructione ad ἀπετελέσθην referri, sed usus quaedam in hac formula analogia eo perducit, ut suppleamus ἐγένετο vel simile quid. Vide quae de hac constructione l. l. §. 20. sunt disputata et supra Plat. Euthyd. p. 287. d.

Ex ellipsi vero apud Latinos quoque adverbialis prorsus formula est nata, cujus usus patet latissime. Liv. XXIII, 3. *Quia nec eosdem nominari attinebat, nihil aliud quam ad audienda probra nominatos.* Ibid. XXXI, 24. *Nec quidquam aliud quam ad deforme spectaculum semirutae ac fumantis sociae urbis quum venisset:* ubi primus Gelenius praepositionem *ad* ante *quidquam* delevit, quem secuti

sunt posteriores editores, consentientibus libris manuscriptis. Ibid. II, 8. *Nihil aliud ad eum nuntium a proposito aversus, quam ut cadaver efferri juberet* etc.

De hac Latinorum formula variis modis usurpata deque cognatis cum ea locutionibus ita disputare nobis proposuimus, ut a simplicissima constructione exorsi ad impeditiores constructiones transiremus, earumque quae esset ratio expediremus. Cujus disputationis quamquam summa capita exemplis modo allatis breviter sunt significata, plura tamen sunt, quae in hoc genere accuratiore distinctione et expositione indigere videantur.

Dicendum igitur primum de pleno, deinde de elliptico ejus formulae usu.

I.

§. 1. Plenus, quem dicimus, usus cernitur in eo, ut *nihil aliud* non ad sequentis membri verbum referatur, sed suum sibi verbum habeat additum. Cujus constructionis duo genera sunt distinguenda, quorum in altero utriusque membri verba constructione non differunt, in altero post *quam* subjicitur finalis sententia, per conjunctionem *ut* ex praegresso verbo *agendi* s. *faciendi* suspensa. Liv. IV, 26. *Neque aliud tota urbe agi, quam bellum apparari.* Nep. Hann. 10. *Neque aliud quidquam egit, quam regem armavit.* Contra apud eundem Att. 11. *Nihil aliud egit, quam ut plurimis, quibus rebus posset, esset auxilio.* Id. Lysand. 1. *Nihil aliud molitus est, quam ut omnes civitates in sua teneret potestate.*

Haec autem genera, quae constructione differunt, cave ne sensu nihil differre statuas. Nimirum hoc inter ea est discrimen, ut, ubi sermo sit de re consiliis tantum agitata, necessario requiratur illud *ut* sequente conjunctivo, atque posterius membrum, etiamsi subjecto non differat a priore membro, non tamen ad ejusdem formam possit accommodari; ut Cic. pro Lig. 4. *Quid aliud egimus, Tubero, nisi ut, quod hic potest, nos possemus?* Quod facile intelliges, si mutata talium locorum constructione sententiam existere videris a scriptoris mente prorsus alienam. Quid enim? Cicero quum ad Fam. IX, 24. haec scribit: *Quasi divinarent, quam hic molestus essem futurus, nihil aliud egerunt, nisi me ut opprimerent;* num vere oppressus est, ut perinde sit, si dicas: *nihil aliud egerunt nisi me oppresserunt?*

Sed ut ipsius sententiae natura ita aliis in locis etiam subjectorum in utroque membro diversitas obstat, quominus posterius ad prioris membri similitudinem possit conformari. Cic. pro Rabirio. 2. *Agitur nihil aliud in hac causa, quam ut nullum sit posthac in republica publicum consilium.* Liv. XLIV, 27. *Nihil aliud agens, quam ut quanta maxima posset praeda ex victo Romanis reservaretur.* Eadem igitur horum locorum est natura atque eorum, in quibus invenitur *id agere, ut.*

(Phil. III. 5. *id egit, ut collegae diadema imponeret*) vel in quibus pro verbo *agendi* in simili constructione alia verba usurpantur, quorum notio de proposito tantum et consilio vel de conatu, non de re jam perfecta, jubet cogitari, ut Cic. ad Fam. XVI, 6. *Nec quidquam cures, nisi ut valeas;* et XVI, 4. *nihil laboro, nisi ut salvus sis;* Cic. pro Quint. 30, 91. *Res ipsa cogere videtur, ut te atque eos, qui tibi in consilio sunt, obsecret obtesteturque P. Quintius ... nihil aliud, nisi ut vestrae naturae bonitatique obsequamini;* cujusmodi verba etiam verbo *agendi* addita habes in his: Cic. ad Fam. IX. 21. *Sic tibi ... persuade, me dies noctesque nihil aliud agere, nihil curare, nisi ut mei cives salvi liberique sint.* Cic. pro leg. agr. 6. *Nihil aliud cogitatum, nihil aliud susceptum, nihil aliud actum, nisi ut decem reges ... constituerentur legis agrariae simulatione et nomine.* Similia haec sunt Graecorum constructioni οὐδὲν ἄλλο ποιεῖν ἢ ὅπως, ut Dem. Phil. II. p. 110. ἕτεροι ... οὐδὲν ἄλλο ποιοῦσιν, ἢ ὅπως ἡ μὲν πόλις ... δίκην λήψεται: vel οὐδὲν ἄλλο ἐπιτηδεύειν ἢ sequente infinitivo. Plat. Phaed. p. 64. a. οὐδὲν ἄλλο αὐτοὶ ἐπιτηδεύουσιν ἢ ἀποθνήσκειν τε καὶ τεθνάναι.

§. 2. Sed etiamsi hoc, quod diximus, inter has constructiones intercedit significationis discrimen, est tamen ubi illud ipsum *nihil aliud agere quam ut* non tam de actionis alicujus consilio, sed per circumlocutionem quandam de actione ipsa usurpetur. Ita Cicero quum dicit de Fin. V. 19. 50. (*Sapientes in beatorum insulis*) *cura omni liberatos, ... nihil aliud acturos putant, nisi ut omne tempus inquirendo ac discendo in naturae cognitione consumant,* non de consilio quodam agendi hoc accipi vult, sed de ipsa actione; salva igitur sententia poterat dicere: *sapientes nihil aliud acturos nisi ... consumturos,* sicut Tusc. dispp. I. 31. *quid aliud agimus ... nisi animum ad se ipsum advocamus.* Quemadmodum etiam nostra lingua nulla sententiae diversitate dicimus: wir thun nichts anders, als *wir führen* den Geist auf sich selbst zurück, et: als *dass* wir den Geist auf sich zurückführen. Eadem ratio est loci Cic. ad Q. Fr. I, 3. 6. *Quae si queri velim praeterita, nihil agam, nisi ut augeam dolorem tuum.* Quod quum ad sententiam perinde sit, ac si dicas: *querela mea augebo tantummodo dolorem tuum,* poterat etiam altera constructione uti: *nihil agam nisi augebo.* Ex eodem genere est, quem laudat Stewechius de part. p. 20, Ulpiani locus: *Quid enim aliud agebat praetor quam hoc, ut controversias eorum dirimeret;* ubi *agebat hoc ut dirimeret* idem est, quod *dirimebat,* i. e. ejus officium versabatur (nulla alia in re quam) in dirimendis eorum controversiis; et Cic. Coel. 13. *Quid est aliud, quod nos patroni facere debemus, nisi ut eos, qui insectantur, repellamus?* in quo illud *facere ut* mera est verbi primarii in sententia finali positi paraphrasis, ut pro *nisi ut repellamus* non mutata sententia videatur dici potuisse *nisi repellere;* quamquam loquendi usus magis eo inclinat,

ut quod sequitur post *nisi* alterum membrum per particulam *ut* ex verbo *faciendi* suspendatur. *)

Est igitur hoc utrique constructioni commune, quod per hanc formulam *nihil aliud agere* (*facere*) *quam* (*nisi*) objectum aliquod agendi cum emphasi quadam effertur, quippe in quo solo alicujus actio versetur; subjectum autem posterioris membri si idem est, quod prioris, licet posterius membrum aut ad prioris similitudinem conformare aut per *ut* seq. conjunctivo subjungere. Haec autem constructio etsi ab alterius sententia ita differt, ut, ubi intelligatur actio consiliis agitata, necessario requiratur, est tamen, ubi merae circumlocutioni inserviat, ab altera constructione sensu non diversae. Sicut autem quum ipsum *agendi* s. *faciendi* verbum in ejusmodi circumlocutionibus invenitur, hae constructiones sensu nihil differunt, ita tum quoque nullum inter eas est discrimen, quum illud ipsum, quod in priore membro habetur, verbum ne cogitari quidem sinit de actionis alicujus consilio, sed natura sua effectum aliquem declarat. Ita Livius pro iis quae leguntur VII, 17. *Quum intercedendo tribuni nihil aliud, quam ut differrent comitia, valuissent* (i. e. effecissent), poterat scribere: *quum nihil aliud valuissent, quam distulissent*, vel per ellipsin: *nihil aliud quam distulissent*, **) sententia nihil mutata.

§. 3. Etsi vero constructione ita conformata admodum frequens est verbi *agendi* s. *faciendi* ellipsis, de qua in sequentibus disputabimus, male tamen olim de ejiciendo hoc verbo cogitatum, ubi codicum auctoritate satis firmatur; ut ab Heusingero ad Nep. Hann. 10. loco supra pag. 4. laudato. Idem suspectum videbatur Gronovio et Dukero Liv. IV. 26. (vid. supra §. 1.) sed servatum est a Drakenborchio, qui Liv. XXXIV. 2. (*Quid enim nunc per vias et compita aliud faciunt, quam rogationes tribunorum plebis suadent, aliae legem abrogandam censent?*) recte quidem verba *quod aliae* post *quam* inculcata expunxit, sed retinuit *faciunt*. ***) Idem verbum apparet

---

*) Quamvis addita in his exemplis formula *nihil aliud quam* (*nisi*) objectum verbi faciendi cum emphasi quadam efferatur, haud absimilis tamen est haec constructio locutioni Ciceroni admodum usitatae, qua pro simplici verbo, aut nulla aut certe minore cum emphasi, paraphrasi quadam utitur, per *facere ut*. Ad Fam. III. 8. *Faciendum mihi putavi, ut tuis literis breviter responderem.* (cf. Phil. III. 3 et 5.) Id. in Vat. 9. *Invitus facio, ut recorder ruinas reipublicae.* Verr. II. 4. *Fecerunt etiam, ut me ... prope de vitae meae statu dolore ac lacrymis suis deducerent.* Catil. III. 3. *Negavi me esse facturum, ut de periculo publico non ad consilium publicum rem integram deferrem.* De qua locutione vide Zumpt. Gr. lat. §. 615. A qua quam facilis esset transitus ad additamenta quaedam, quae augendae objecti ex verbo *faciendi* pendentis emphasi inservirent, illi verbo adjicienda, apparet, ut in his: *Nihil prius mihi faciendum putavi, nisi ut tibi gratularer.* Cic. Att. IV. 1.

**) Non: *differrent*, ut putabat Drakenb. ad Liv. XLI. 23. 12.

***) Posse quidem in hac constructione post *quam* vel *nisi* conjunctionem *quod* subjici, ad

Cic. Rosc. Am. 37. *Si nihil aliud fecerunt, nisi rem detulerunt.* Cic. Sull. 12. *Nihil aliud agerem, nisi eum, qui accusatus esset, defenderem.*

Pro vocabulo *aliud* etiam *amplius* et *potius* in hac constructione habetur. Hirt. de bello Al. (in loco a Stewech. p. 211 laudato). *Circumspicere Caesarem, neque amplius facere, nisi hostium jacula vitare;* et *Ovid.* Ep. X. 45. *Quid potius facerent, quam me mea lumina flerent?*

Paullo liberius ad hujus constructionis rationem conformata est locutio Ciceronis ad Q. Fr. II, 10. *Istuc si unquam suspicatus ero, nihil dicam aliud, nisi verebor, ne quando ego tibi, quum sum una, molestus sim;* ubi exspectaveris: *nisi me vereri.*

§. 4. Quum autem in his formulis promiscue, ut videtur, post *nihil aliud* modo *quam* inveniatur modo *nisi*, de harum particularum differentia universe hoc tenendum: *nisi* exceptivam s. exclusivam, *quam* comparativam habere vim, qua illud ad negationem potissimum spectat, ut, non addito pronomine *alius*, semper sequatur *nisi*, hoc ad pronomen *aliud* refertur. *) Quum enim dicimus *nihil aliud quam hoc vel illud*, declaramus, nihil esse cogitandum, quod a re per sententiam comparativam declarata natura sua sit diversum; ut Cic. Leg. I. 8. *Virtus est nihil aliud, quam in se perfecta et ad summum perducta natura.* Hoc igitur significat, virtutem quum dicat, se intelligere perfectam in se et ad summum perductam naturam, nihil aliud. Nep. Lys. 1. *Lysander nihil aliud molitus est, quam ut omnes civitates in sua teneret potestate;* h. e. Lysandri opera in eo versabatur, ut ... teneret; ad nihil

---

objectum verbi *faciendi* declarandum, quae est hujus particulae natura, vix dubium videbitur. Ita apud Livium XL. 50. in loco admodum quidem corrupto et interpretum tantum conjecturis hunc in modum restituto: *Nec aliud magnopere ... fecisse Romanos, nisi quod postero die lacessierint proelio manentes intra vallum*, aptissimum est illud *quod* post *nisi* (= praeterquam), ad praecedens *nec aliud fecisse* relatum, quamquam per grammaticae rationem licebat etiam scribere: *nec aliud fecisse, nisi lacessisse.* Simili constructione apud eundem XXVI. 2. legitur: *Milites, qui nihil aliud peccaverint, nisi quod imperatoris similes fuerint, relegatos prope in exilium;* ubi recte sensit Drakenborchius, non esse, quod ejecta particula *quod* una cum verbo *peccaverint* totus locus ad ellipticam dicendi formam refingeretur. Etiamsi enim, ejectis quae diximus, verbis, constructio evaderet Livio perquam familiaris, nihil tamen obstat, quominus aliam quoque constructionem Livio placuisse statuamus. Cf. Duker ad Flor. III. 23.

*) Cf. de hoc discrimine disputantem A. Grotefendium in gram. lat. ampliore §. 272. in gram. min. §. 386. Adde Weissenbornium in gram. lat. §. 466. »Durch *nihil aliud nisi* wird bestimmt angedeutet, dass nichts anderes ausser dem im Nebensatze Genannten, gerade nur dieses, Statt finde, während *quam*, von der Vergleichung ausgehend, eigentlich angiebt, dass der Art nach nichts anderes Statt habe; jenes nähert sich dem *hoc unum*; dieses dem *idem*.

spectabat, quod ab hoc consilio esset alienum. Salva igitur sententia etiam abesse poterat illud *nihil aliud quam*, quod eo tantum consilio additum est, ut, quod in sententia finali sequitur, objectum moliendi demonstrativa quadam cum vi efferretur. Itaque priorem sententiam poteris etiam sic efferre: *Virtus est perfecta in se et ad summum perducta natura; nihil aliud;* ut Cic. Fam. XII. 1. *Adhuc ulta suas injurias est respublica per vos interitu tyranni*; *nihil amplius.* Significatione igitur proxime accedit hoc *nihil aliud quam* ad formulam *nihil aliud atque*, qua, quod in utroque membro positum est, unum esse idemque declaratur. Cic. Fam. I. 9. 61. *Si essent omnia mihi solutissima, tamen in republica non alius essem atque nunc sum;* i. e. *idem essem, qui nunc sum.* —

Contra quae est *exceptiva* s. *exclusiva* particulae *nisi* potestas, ea quum a sententia primaria eaque negativa id jubeat excludi, quod in membro per *nisi* elato additur, apparet hanc sententiam exceptione quadam restringi. *) Hac igitur particula quum post negativam sententiam utimur, ita veram esse volumus hanc sententiam, si cogitatione excludatur id, quod per *nisi* est adjectum. Ipsa igitur sententia finibus quibusdam coercetur vel restringitur. Ita Cicero Planc. 33. quum dicit: *Quid* (= *nihil*) *est pietas, nisi voluntas grata in parentes?* non omnino *nihil esse pietatem* vult, sed hoc concedit: esse *voluntatem gratam in parentes.* Ad hanc non referri vult istam negationem; unde patet, pietatem *sola* vel *una* voluntate grata in parentes contineri. Eadem hujus particulae ratio est, ubi ad negationem, quae est in sententia primaria, accedit pronomen *aliud*, quod nisi in praecedentibus habeat, quo referatur, praeparatur quodammodo alterum aliquod membrum sive comparativum sive exclusivum, in sequentibus adjiciendum. Exclusivum autem quum subjicitur per *nisi*, eadem ejus vis est, quae sola praecedente negatione. Ita Cicero de Or. II. 12. quum dicit: *Erat historia nihil aliud nisi annalium confectio*, non, ut in exemplo supra allato, de Legg. I. 8. (ubi post *nihil aliud* subjicitur *quam*,) omnino aequiparat historiam et annalium confectionem, sed hoc dicit: *nihil praeter annalium confectionem* historiae nomine esse declaratum; omnem igitur historiam in sola annalium confectione esse versatam. Similiter quum dicimus: *Inimici mei nihil aliud egerunt nisi me ut opprimerent*, hoc volumus: inimicos nihil egisse *praeter hoc*, ceteris omnibus omissis vel neglectis. Itaque in simili constructione ipsam particulam *praeter* poni videmus, ad cujus significationem illud *nisi* proxime accedit. Cic. Or. II. 69. *Rogavit, num quid aliud ferret praeter arcam.* Quum autem quibusdam in locis rei natura tam comparativam quam exceptivam sententiam admittat, perinde est, utrum *quam* an *nisi* po-

*) Cf. Weissenborn l. c. §. 458. not. 2.

natur; *) sed non tollitur promiscuo hoc, qui videtur, usu ipsum harum particularum discrimen, quod nostra lingua per *als* et *ausser* exprimimus.

II.

§. 5. Transeamus ad eum hujus formulae usum, in quo quum post *nihil aliud* non appareat verbum *agendi* s. *faciendi* primum videndum, utrum *nihil aliud* ad ipsum posterioris membri verbum possit referri, an ex omisso verbo *agendi* sit suspensum. Quod ex universae sententiae natura erit dijudicandum, ut supra p. 4 monuimus ad Liv. II. 32. In quo ut ferri quodammodo possit, ut *nihil aliud* constructione cum verbo *narrasse* jungatur, modo probari possit, totum Agrippae negotium in narrando fuisse versatum: (quamquam hoc parum est verisimile;) vix tamen idem feras in loco Nep. Ages. II, 4. *Tissaphernes nihil aliud quam bellum comparavit*, ubi non recte dixeris, sententiam ita esse compositam, ut necessario cogitetur de Tissapherne *comparante aliquid*, quod quidem nihil aliud fuerit, quam bellum. Male igitur a Bremio (in ed. 2.) *nihil aliud* interpunctione ad *comparavit* est relatum. Ex iis enim, quae praecedunt, exspectaveris, ut generaliter tantum, quid *fecerit* Tissaphernes, non specialiter, quid *comparaverit*, indicetur. Rectius apud Hirt. de bello Alex. 8. statues, verba: *Sed ne iis quidem, qui nihil, praeterquam de vita, cogitarent*, ita esse struenda, ut ex interpunctione nostra apparet; quoniam hic certe sententiae ratio non postulat, ut generaliter, quid *fecerint*, sed specialiter, quid *cogitarint*, commemoretur. Idem cadit in Livii locum II. 56. *Quum Volero nihil, praeterquam de lege, loqueretur*.

Hic enim, quamvis objecta ad idem verbum relata casu differant, recte tamen in eadem constructione tam accusativum (*nihil*, *nihil aliud*) quam ablativum, addita praepositione *de*, ad verba *cogitandi* et *dicendi* referri probavit Stuerenburgius ad Cic. or. pro Archia §. 8, ubi ex ipso Cicerone satis multa hujus constructionis exempla attulit, in quibus nullam in priore membro verbi ellipsin statuendam esse demonstraret.**)

*) Ita Cic. Att. IV. 1. (vid. supra p. 7.) post *nihil prius* non *quam* posuit sed *nisi*, quantumvis proclive esset, ad comparativum *prius* comparativam particulam referre. Pro lege Man. XXII. 64. *Ut nihil aliud nisi de hoste et laude cogitet*, pro *nisi*, quod habet cod. Erf., alii habent *quam*. Illud sine dubio praeferendum, ut sit: *de nulla alia re, praeterquam de hoc uno, de hoste et de laude*.

**) Statuit ellipsin Cortius Cic. ad Fam. XV. 21. 5. *Quod si in his scribendis nihil aliud, nisi, quod necesse fuit, de uno me tamdiu cogitavisses, ferreus essem, si te non amarem.* In locis a Stuerenburgio collectis invenies etiam Verr. Act. I. 9. 26, ubi ipsum verbum *agendi* cum verbo *cogitandi* in eadem constructione est conjunctum: *Coepi ... nihil aliud nisi de judicio agere et cogitare.*

Hoc potius Ciceroni proprium esse ostendit, ut nusquam dicat v. c. *de nulla alia re nisi de civitate dico, cogito*, sed *nihil aliud* vel solum *nihil.* Quum autem et dici possit *nihil aliud dico*, et *de aliqua re dico*, apud Ciceronem in ejusmodi locis utramque dicendi rationem esse conjunctam. In exemplis autem ab eo allatis etsi satis apparet non propter casuum diversitatem verbum *agendi* esse supplendum, tamen hoc quoque videtur animadvertendum, ipsius sententiae rationem non postulare, ut ejusmodi verbum scriptoris menti obversatum esse statuamus.

§. 6. Praeterea omnes hi loci ex eo sunt genere, in quo post *nihil aliud* vel *nihil* habetur *nisi* non *quam.* Elliptici autem, quotquot colligere mihi licuit, loci omnes fere in eo consentiunt, quod omisso verbo *agendi* subjicitur *quam;* unde hoc saltem recte collegisse mihi videor, in locutione *nihil aliud* (*amplius* et sim.) *quam* ellipticam dicendi formulam multo quam in formula *nihil aliud nisi* esse frequentiorem. Horum exempla aliquot afferamus. Liv. IV. 3. *Quibus* (*rogationibus*) *quid aliud quam admonemus* cet.? VI. 41. *Quid aliud quam tollit ex civitate auspicia?* XXXIV. 46. *Per biduum nihil aliud quam steterunt parati ad pugnandum.* XLV. 22. *Rhodios, qui nihil aliud quam quieverunt hoc bello, hostes ex sociis facturi estis?* Suet. Caes. 20. (*Caesar Bibulum*) *in eam coëgit desperationem, ut, quoad potestate abiret, domo abditus nihil aliud quam ad edicta obnunciaret.* Claud. 10. *Fluctuantes, nec quidquam aliud quam frementes.* Ner. 43. *Inermem se in conspectum exercituum proditurum, nec quidquam aliud quam fleturum.* Vesp. 5. *Nec illum quidquam aliud quam cachinnasse.* Domit. 21. *Ad horam somni nihil aliud quam secreto solus deambulabat.* Flor. IV. 2. 80. *Quum diu pari Marte acies nihil aliud quam occiderent.* Id. II. 2. 25. *Quid aliud quam victus de victoribus ... triumphavit?* Quintil. *Nihil aliud quam renuet.* Ovid Trist. 2. 37. *At pia nil aliud quam me dolet exsule conjux.*

Ut in his locis activa quaedam verbi forma intelligitur, ita, prout sententiae fert conformatio, passivi quoque vel verbi substantivi forma aliqua cogitatione est adjicienda; ut in his: Liv. XXXI. 13. *Si in Punicum bellum pecunia data in Macedonicum quoque bellum uti respublica vellet, aliis ex aliis orientibus bellis, quid aliud* (sc. futurum) *quam publicatam, pro beneficio, tamquam ob noxam, suam pecuniam fore?* Liv. XXIV. 36. *Inutili mora cernens nihil aliud ab suis* (sc. fieri) *quam inopia aggravari socios, velis in altum datis, in Africam transmisit.* Liv. II. 49. *Donec nihil aliud* (factum) *quam in populationibus res fuit.* Ibid. II. 26. *Nihil* (factum) *praeterquam vigilatum est in urbe.* Tac. H. IV. 74. *Pulsis Romanis quid aliud* (fiet) *quam bella omnium inter se gentium existent?* Flor. III. 23. *Qui supererant, revŏcante Lepido, quid aliud quam ad bellum*

vocabantur? Ubi quum propter passivum *vocabantur* in priore membro non commode *faciebant* possit intelligi, totus locus ita est constituendus: *Quid aliud fiebat, quam, qui supererant, ad bellum vocabantur?* Similiter Liv. XXII. 60. *Quid aliud quam admonendi essetis, ut* etc.? Quamquam quum frequenti usu haec formula adverbii paene naturam induisset, (de qua vide §. 8. vix dicas Latinis hic deesse aliquid visum, quod cogitatione esset adjiciendum.

§. 6. Non alienum videtur, hoc loco praeter *aliud* alia quoque vocabula ad comparationem spectantia eundem in modum usurpata exemplis demonstrare. In his apud Suetonium frequentissimus est comparativus *amplius; nihil amplius quam.* Suet. Dom. 3. *Quotidie secretum horarum sibi sumere solebat, neque quidquam amplius quam muscas captare.* Vesp. 20. *Quamvis ad eam* (valetudinem) *tuendam nihil amplius quam fauces ceteraque membra ... defricaret.* Galb. 19. *Nihil amplius* (sc. fecit vel facere) *quam continere se statuit.*

Sed etiam *nihil minus, nihil prius* similiter construuntur. Liv. XXXV. 11. (*Pollicetur*) *nihil prius quam flammas tectis injecturum.* Id. XXVI. 20. *Ut facile appareret, nihil minus* (facere Scipionem) *quam vereri, ne quis obstaret gloriae suae.* Quo loco etsi scriptura a Gronovio et Drakenborchio expulsa: *nihil minus eum vereri, quam ...,* neque linguae neque sententiae rationi repugnat, altera tamen ut brevior ita elegantior est judicanda.

Denique apud Tacitum H. II, 91. invenitur *non ultra quam*, simili ellipsi, etsi vix ipsum verbum *faciendi* potest intelligi. *Commotus primo Vitellius, non tamen ultra quam tribunos plebis in auxilium spretae potestatis advocavit.*

Quod legitur apud Ter. *nil nisi*, Eun. IV. 5. 9. *Nil, nisi abiens mi innuit;* propter ea, quae praecedunt: *nil dixit, ut tu sequerere sese?* fortasse rectius, quam suppleto verbo *fecit*, expedies ita: *nil dixit, nisi* etc. i. e. *sed innuit tantum.*

Sed ad eam, de qua exposuimus, normam exigendus videtur Taciti locus An. I. 26. *Numquamne nisi ad se filios familiarum venturos?* Hanc verborum collocationem quae est in Ms. et edd. vett., mutavit Lipsius, verbis ita trajectis: *Numquamne ad se nisi f. f. venturos;* quae trajectio vulgo est recepta. Wolfius ejus causam nullam esse censebat, si *numquam nisi* ad totam enuntiationem referretur, ut interdum *nunquam non.* Vanam hanc rationem judicabat Waltherus, neque tamen non Manuscripti scripturam probabat, sed aliam ob causam. »Queruntur, inquit, legiones Pannonicae, quod *ad se tantum* filii familiarum veniant, desideria legionum frustraturi, *neque ad alios etiam exercitus.*« *) Sed male putat Waltherus illud *ad se* sive *Pannonicas legiones* hic

*) Addit Waltherus: »Augustus enim ad Pannonicas legiones saepius miserat Tiberium, v. Suet. Tib. c. 9. 16. 21. Dio 54, 31. Iverant sane ad alios etiam exercitus filii familiarum; sed

opponi aliis exercitibus, quod recte se haberet, si in praecedentibus non esset *numquam* sed *non*. At vero illud *numquam nisi* non poterit ad sola verba *ad se* referri, sed, ut recte vidit Wolfius, ad totam enunciationem, certe ad ipsum enunciati praedicatum pertinet. Hoc igitur volunt legiones: *Ipsarum* tristem hanc esse sortem, ut si habeant, quod querantur, *nulla unquam* (*alia*) *medela malis* suis adhibeatur, nisi quod mittantur filii familiarum, qui quum nulla iis sit benefaciendi licentia, vanis promissis se frustrentur. Neque hoc dicunt: displicere sibi, quod non vel nunquam *alii nisi filii familiarum* ad se veniant; quam sententiam ex Lipsiana trajectione elicias; neque hoc: displicere sibi quod *ad se tantum*, (non ad alios quoque) filii familiarum mittantur. Neque igitur Pannonicae legiones aliis legionibus, neque filii familiarum ad legiones missi aliis legatis opponuntur; sed quae missis filiis familiarum legionum laboribus adhibetur levatio, ei opponitur auxilio, in quo verum sit malorum levamen, cujus quidem afferendi filiis familiarum nulla sit licentia.

Apparet igitur post *numquamne* sententiam esse intelligendam fere hanc: *aliud quidquam futurum*. Quae quidem interpretatio etsi Manuscripti scripturae magis convenit quam vulgatae verborum trajectioni, eandem tamen ne ab hac quidem prorsus alienam judicamus. Quum enim illud *numquam* ante *nisi filios familiarum* satis ostendat, non *filios f.* legatis opponi, sed pariter atque sicut ipsa particula *nisi* non possit non ad totam enunciationem referri: etiam verbis *ad se* ante *nisi* positis non obscurabitur vera universae enunciationis sententia. Imo, salva, quam esse statuimus, hujus loci sententia, trajecta haec verba ante *nisi* cum majore quadam vi efferentur, quasi dicant legiones: Nos nihil unquam aliud consequemur, nisi ut ad nos filii familiarum veniant? *)

§. 10. Eorum quos hactenus explicavimus locorum ea est natura, ut, etiamsi, quod in priori membro legitur *nihil* vel *nihil aliud*, non possit ad posterioris membri verbum referri, facile tamen sit inserto verbo aliquo prius membrum ad plenae enunciationis formam redigere. Inde autem natus est, cujus jam supra mentionem fecimus, abverbialis prorsus hujus formulae usus iis in locis, in quibus alterius membri ea est

---

more querentium legiones Pannonicae prae aliis gravatas se sentiebant. Hinc volunt: alibi jam exercerent artes suas; se satis expertos esse. Haec vero contumelia et cavillatio, quae optime convenit verbis: Tiberium olim nomine Augusti desideria legionum frustrari solitum, easdem artes Drusum retulisse.«

*) Similiter Plinius Epp. I. 5. *Non possum dicere aliud tunc mihi quam deos adfuisse;* ubi *aliud* non cum verbo *adfuisse* constructione est jungendum, sed supplendum verbum aliquod quale *accidisse*, quamquam in hunc quoque locum cadit, quod supra (§. 6 sub fin.) de ejusmodi supplementis monuimus. Non probanda igitur verborum trajectio a Graevio proposita et ab Heinsio probata: *non possum dicere aliud, quam tunc mihi Deos adfuisse.* (Vide Cort.) De simili trajectione optimorum librorum consensu ab editoribus expulsa vid. supra §. 7. ad Liv. XXVI. 20.

ratio, ut ex ejus verbo ne possit quidem verbum aliquod ad explendam prioris membri formam intelligi. Neque negaverim esse etiam in locis supra laudatis, qui ad hunc adverbialem usum proxime accedant. cf. §. 6. sub fin. Liv. II. 49 et XXII. 64. Flor. III. 23. Est autem haec formula Livio maxime frequentata, ut II. 63. *Nihil aliud quam perfusis vano timore Romanis.* II. 29. *Ab lictore nihil aliud quam prehendere prohibito.* XXVII. 18. *Per aspreta primo nihil aliud quam via impediti ire.* XXXVII. 21. *Classis ad insulam se recepit, nihil aliud quam depopulato circa urbem hostium agro.* XXV. 49. *Videretis regem ... nihil aliud quam Aulide et Euripo spectatis in Aetoliam redeuntem.* IX. 17. (*Alexander Darium*) *praedam verius quam hostem, nihil aliud quam bene ausus vana contemnere, incruentus devicit.* Cf. supra p. 4. Liv. XXIII. 3 et XXXI. 24.

Est etiam ubi post *nihil aliud* ante *quam* verbo aliquo interjecto prius membrum quodammodo expleri videatur, ita tamen, ut *nihil aliud* neque ut subjectum neque ut objectum cum hoc verbo construi possit. Vide Liv. II, 8. loco supra p. 5. laudato. Huic adde Liv. XXV. 9. *Ad quem nuncium nihil ultra motus praefectus Romanus, quam ut partem equitum postero die luce prima juberet exire ad arcendum populationibus hostem* etc.

Frequentatur etiam in hac formula *nihil amplius*, cujus exempla Suetonius praebet haec: Calig. 44. *Nihil amplius quam Adminio ... in deditionem recepto ... magnificas Romam literas misit.* Nero 39. *Histrionem et philosophum Nero nihil amplius quam urbe Italiaque submovit.* Tit. 9. *Duos patricii generis, convictos in affectatione imperii, nihil amplius quam ut desisterent monuit.* Claud. 16. *Alium nihil amplius quam monuit, ut* etc. Adde Sen. Controvers. V. 34. *Crudelis ille Graeciae carnifex illum tamen nihil amplius quam vendidit.*

De adverbiali autem hujus locutionis natura, quae non sinit eam addito verbo aliquo explere atque expedire, non alienum fuerit hic repetere, quam in commentatione de formula ἀλλ᾽ ἤ §. 21 laudavimus Wolfii de impeditioribus ejusmodi constructionibus sententiam, (vid. ad Reizii libr. de accentus inclinatione p. 80): Vulgus, inquit, penes quem norma est et arbitrium loquendi, adeo ducitur *analogiae sensu*, ut ea, quae in uno aliquo genere satis caussae habent, eadem in aliis aut minore ratione aut nulla ad imitationem trahat. Inde fit, ut non raro constructio auctores habeat optimos, cujus difficile sit probabilem solutionem afferre.

§. 9. Quum ea constructio, ad quam disputatio nostra pertinet, ex ellipsi verbi *faciendi* sit orta, non praetermittenda est alia hujus verbi ellipsis in formula *si nihil aliud*, de qua videndus est Drakenborchius ad Liv. XXX. 35. *Ac, si nihil aliud, vulneribus suis ferrum hostile hebetarent;* qui contra Gronovium Livianam hanc locutionem exemplis his confirmavit: II. 43. *Nec illos ... periculum ... cogere potuit,*

gradum accelerare, aut, si aliud nihil, instare instructos. V. 19. *Herdonius, si nihil aliud, hostem se fatendo prope denunciavit, ut arma caperetis.* XXII. 29. *Si nihil aliud, gratorum certe animorum gloriam dies haec dederit.* (Quamquam hic, ut in exemplis quibusdam alterius constructionis, cf. §. 5, accusativus *nihil aliud* etiam ex *dederit* suspensus esse possit.) XLV. 37. *Non triumphum impedire debuit, quem, si nihil aliud, senatus justum esse judicaverat;* quo in loco vides hujus quoque formulae usum latius patere, ut paulo impeditior ejus sit solutio; (Heusingerus vertit: wenn ich auch nichts weiter sage.); sic apud Cic. ad Att. II. 15. *Nimirum in Publio spes est. Fiat, fiat tribunus plebis; si nihil aliud, ut eo citius tu ex Epiro revertare;* quod ad sententiam paene est: *si nullam aliam ob causam,* vel *ob nihil aliud.* His adde Liv. V. 2. *Et ne in turba quidem haerere plebejum, qui, si nihil aliud, admoneat collegas* etc.

§. 10. Denique admonet hic locus, ut dicamus etiam de formula *quid est aliud* ita usurpata, ut neque comparativa neque exceptiva particula subjiciatur, quae tantum abest ut omissa et intelligenda sit, ut suo quodam jure eam abesse sententiae natura evincat. Quod ut demonstretur, primum teneamus, verba *quid aliud* in hac formula tam praedicati quam subjecti locum posse tenere; quorum locorum utrum teneant ex sententiarum nexu esse judicandum. Ita Cicero Phil. VIII. 1. 3. quum interrogat: *Quid est enim aliud tumultus, nisi perturbatio tanta, ut major timor oriatur?* apparet subjectum esse *tumultus.* Dixerat enim in praecedentibus de tumultu, deque controversa, quae videretur, hujus nominis significatione. *Potest,* inquit, *esse bellum sine tumultu, tumultus esse sine bello non potest.* Quum igitur sic pergat: *quid est enim aliud tumultus*, non potest non *tumultus*, utpote primaria notio, pro subjecto accipi, quod quid sit definitione erat illustrandum. Unde consequitur verba: *quid aliud nisi perturbatio tanta* etc. praedicati loco esse posita. Etsi enim definitionis propositae ea est natura, ut salva sententia subjectum et praedicatum vices suas inter se possint permutare, recteque dicatur: *perturbatio tanta, ut major timor oriatur, est tumultus:* hoc tamen loco patet *tumultus* nomen esse definiendum. Longe igitur aberraret a scriptoris mente, qui in verbis construendis verbis *quid aliud*, quamvis in sententiae principio positis, subjecti locum vellet assignare. His adde simillimum locum Cic. Fin. II. 24. 78. *Amicitiae locus ubi esse potest, aut quis amicus cuiquam, quem non ipsum amet propter ipsum? quid autem est amare, ... nisi velle bonis aliquem affici quam maximis?*

Est vero etiam, ubi subjectum ejus praedicati, quod per formulam *quid est aliud quam* (*nisi*) effertur, non addatur, sed ex praecedentibus vel ex sententiarum nexu cogitatione sit supplendum. Liv. IV. 4. *Quid est aliud, quam exsilium intra eadem moenia, quam relegationem pati?* sc. ea contumelia, qua pars civitatis, velut

contaminata, indigna connubio habetur. Similiter IV. 2. *Quid esse aliud, quam minari, se proditurum patriam?* sc. quod Canulejus audeat in Senatu proloqui, se, nisi suas leges, tamquam victoris, Patres accipi sinant, delectum haberi prohibiturum.

Non addita autem post formulam: *quid est aliud* sententia comparativa vel exceptiva, (ut Cic. Off. II. 23. *Quid est aliud, aliis sua eripere, aliis dare aliena?*) quam ex praecedentibus cogitatione adjicias, ambigitur, uter locus et huic sententiae et ipsi formulae *quid aliud* sit assignandus. Quippe videri possunt illi ipsi, qui hanc formulam excipiunt, infinitivi tam subjecti quam praedicati loco esse positi. Ita loco laudato, quo disputatum erat de bonorum publicationibus, quo efficiatur, ut me invito alius fruatur meo, salva sententia poterat interrogari, aut: *aliis sua eripere, aliis dare aliena*, (quod scil. nemo non nefas esse judicaverit) *quid aliud esset*, sc. quam quod facerent ii, qui bona civium voci subjicerent praeconis; *) aut: *quid aliud*, sc. quam civium bona publicare, *esset aliis sua eripere* etc. Quarum constructionum in priore verba *quid aliud* praedicati, in posteriore subjecti locum tenent. Minime vero post *quid est aliud* ipsa particula *quam* cogitatione est intelligenda, quasi sicut Liv. IV. 2. suppresso subjecto hoc voluerit scriptor: (*Bona civium publicare*) *quid est aliud quam aliis sua eripere, aliis dare aliena?* Quod quamvis sententia ab iis constructionibus, quas proposuimus, non sit diversum, grammatica tamen loci conformatio de ejusmodi ellipsi vetat cogitari. Verba autem *quid aliud* ut non pro praedicato sed pro subjecto accipiantur, cogere videtur, quae aliis in locis in eadem constructione addita est formula: *si hoc non est*, ut Cic. Off. III. 13. *Quid est enim aliud, erranti viam non monstrare, ... si hoc non est, emptorem pati ruere et in maximam fraudem incurrere?* **) Ubi si minus ipsa verba *si hoc non est* (hoc sc. de quo in praecedentibus erat dictum), certe ipsum subjectum, cum indignatione quadam additum: *emptorem pati ruere*, vetare videtur, ne verba *quid aliud* alio quam subjecti loco posita esse judicemus. Eadem formula usus est Cic. Verr. III. 30. 71. *Quid est aliud capere et conciliare pecunias, in quo te lex tenet, si hoc non est, vi atque imperio cogere invitos lucrum dare alteri, hoc est, pecuniam dare?*

Similiter igitur in loco supra laudato nisi post *quid aliud* sententiam aliquam comparativam ad explendum subjecti locum cogitatione addere volueris, in fine universae sententiae recte supplebis: *si hoc non est*, (ita Heusinger, quem sequitur Zumptius;) ad

*) Hanc verborum constructionem si sequimur, idem sonare videbuntur scriptoris verba, ac si dicat: *Idem* vel *non diversum* (ab eo, quod in praecedentibus erat commemoratum) *est*, *aliis sua eripere.* Ubi patet infinitivum pro subjecto esse habendum.

**) Cf. Cic. in Verr. Act. 1. 10. *Quid est, quaeso, Metelle, judicium corrumpere, si hoc non est?*

eamque normam revocabis Liv. VI. 40. ante med. *Sub conditione, inquit, nos reficietis decimum tribunos. Quid est aliud dicere, quod petunt alii nos adeo fastidimus, ut sine mercede magna non accipiamus?* et ibid. sub fin: *Timeo, inquit, ne si duos licebit creari patricios, neminem creetis plebejum. Quid est dicere aliud, quia indignos vestra voluntate creaturi non estis, necessitatem vobis creandi, quos non vultis, imponam?*

Quibus omnibus in locis ut verba *quid aliud* subjecti loco accipiantur, eodemque loco habeantur etiam ea, ad quae spectat haec comparandi formula, eam quoque ob causam necessarium esse judicaverit aliquis, quoniam sententiae rationi magis videatur convenire, ut, tamquam a subjecto, haec comparatio proficiscatur ab eo, quod, quum in praecedentibus sit commemoratum, scriptoris menti potissimum obversari putandum sit.

Sed videndum tamen, quum ipsa verba *quid aliud* tam praedicati quam subjecti loco possint esse posita, annon in rhetorica quadam sententiae conformatione aliquid esse causae possit, cur scriptorem praedicati potius locum iis assignasse, et quem addidit infinitivum subjecti loco haberi voluisse statuamus. Omnium enim, quos attulimus, locorum ea est sententia, ut cum indignatione quadam rei alicujus indignitas vel turpitudo vel atrocitas improbetur, ad eamque declarandam haec res ei rei aequiparetur, de cujus indignitate, turpitudine, atrocitate nemo dubitaverit. Nonne igitur per ipsam sententiae naturam factum dicamus, ut, quum post *quid est aliud*, ad praedicati locum explendum, alterum membrum per *quam* subjiciendum esse videretur, (ut in locis supra laudatis Liv. IV. 2 et 4) inverso ordine membrorum, non addita particula *quam* alterum illud membrum ipsum in subjecti locum transire juberetur? Ut quum Germanice pro his: was heisst *dies* anders, *als* den Einen das Ihrige nehmen, den Andern fremdes Eigenthum geben? dicimus: was heisst den Einen das Ihrige nehmen, den andern fremdes Eigenthum geben anders? *) ubi supplebis: als das, wovon im Vorhergehenden die Rede war. Hoc igitur si scriptorem in hac constructione spectasse statuimus, *quid aliud* pariter atque in locis Liv. IV. 2 et 4. praedicati locum tenebit; universae autem orationi major quidam accedet affectus; certe cum emphasi quadam subjecti locum occupasse videbitur id, quod secundum vulgarem constructionis regulam praedicati loco ponendum videretur. Sed ut a ceterorum locorum conformatione illa constructio non aliena esse videtur, ita iis in locis vix poterit admitti, ubi vel nude additur *si hoc non est*, vel praemissa hac formula ipsum in sequentibus additur subjectum, per hanc formulam ad verba *quid aliud* relatum, ut Cic. Off. III. 13.

§. 11. Ad ejusmodi autem locos proxime accedit eorum locorum natura, in quibus non interposita formula *si hoc non est* formulam *quid aliud* subjecti et in-

*) Eadem autem, quae in Latina, nostra in lingua erit ambiguitas, si dicimus: Was heisst anders den Einen das Ihrige nehmen? etc.

finitivum praedicati loco positum alter sequitur infinitivus, quo subjecti, quod scriptoris obversaretur menti, quodque ex orationis nexu facile esset cogitatione supplere, epexegesis quaedam additur, ut Cic. Phil. II. 4. *Quid est aliud tollere e vita vitae societatem, tollere amicorum colloquia absentium?* Quibus in locis quae in nonnullis libris ante posteriorem infinitivum inserta est particula comparativa vel exceptiva, a scriptoris mente alienissima est. Ita loco modo laudato olim ante *tollere amicorum colloquia absentium* legebatur *quam*, quod recte a Wernsdorfio et Orellio est expulsum. Hac enim addita particula patet duo, quae adsunt, sententiae membra (infinitivos dico) ita construi, ut prius subjecti, posterius praedicati locum teneat, *) quasi dicatur: *Tollere e vita vitae societatem est* (nihil aliud quam) *tollere amicorum colloquia absentium.* Hoc autem noluit dicere Cicero. Nempe queritur, literas a se ad Antonium missas ab eodem palam esse recitatas. Literis autem familiaribus, quae sunt amicorum colloquia absentium, palam recitandis tolluntur ejusmodi colloquia. Quae qui tollit, e vitae vitae societatem tollit. *Tollere igitur amicorum colloquia absentium est tollere e vita vitae societatem*, quorum prius per posterius illustratur, factique inhumanitas declaratur. Itaque quum diceret: *quid est aliud tollere e vita vitae societatem*, in mente habebat, quod ex praecedentibus facile erat intelligere, subjectum. Nimirum id, de quo erat conquestus. Supplebis igitur post *quid aliud: quam literas familiares in medium proferre et palam recitare.* Hoc autem subjectum quid sit quo magis animis audientium inculcetur, quoque diutius in eo considerando et in rei inauditae inhumanitate expendenda commorentur, in fine sententiae per epexegesin non sine indignatione quadam subjicitur: *tollere amicorum colloquia absentium!* In qua sententiarum collocatione quanta sit oratoris δεινότης, manifestum est. Ad vulgarem constructionis normam hae sententiae ita redigentur: *Tollere amicorum colloquia absentium quid est aliud quam tollere e vita vitae societatem.* **) — Eodem modo explicandus est locus qui legitur Cic. Pis. c. 20. *Quid est aliud furere, non cognoscere leges, non senatum, non civitatem?* Hic quoque quod in mente habebat verborum *quid aliud* (subjecti loco positorum) complementum, per epexegesin addit et ad exaggerandum crimen his verbis declarat: *non cognoscere homines* etc. Recte igitur ab Orellio aliisque editoribus particula *nisi*, quae a nonnullis ante *non cognoscere* legebatur, est expulsa. Recte autem vel eam ob causam est expulsa, quod addita hac particula sententia exsisteret prorsus falsa. Etenim, quum multa sint furoris genera, quo tandem jure dixeris: *furere esse nihil aliud nisi non cognoscere leges* etc., i. e. furorem nulla alia in re versari nisi in contemtu legum, senatus, civitatis? cf. quae §. 4 de particulae *nisi* significatione diximus.

Haec si recte sunt disputata, concedes non aliter construendum esse locum Cic. Phil. V. 2. 5. *Quid est aliud, omnia ad bellum civile hosti arma largiri? primum nervos belli, pecuniam infinitam, qua nunc eget; deinde equitatum, quan-*

---

*) Certe si verba *quam tollere amicorum colloquia absentium* subjecti loco posita cum verbis *quid aliud* construi voluisset scriptor, admodum ambigue esset locutus. Contra, sublata ante posterius sententiae membrum particula, sententia satis est expedita.

**) Possit igitur etiam in ea, quae scriptori placuit verborum collocatione post ipsam formulam *quid est aliud* particula *quam* subjici; (*quid est aliud quam tollere e vita* etc. cf. Liv. IV. 4. vid. p. 15.) sed, quae omissa hac particula nascitur, orationis brevitas oratoris affectui magis est accommodata.

tum volet. Male Gruterus putat *arma* hic explicari per *pecuniam* et *equitatum.* Imo quod praecedit verbum *largiri*, idem ad sequentia: *primum nervos* etc. cogitatione est adjiciendum. Decreta enim Antonio Gallia, quam Plancus obtinebat, eidem tradebantur nervi belli, pecunia infinita et equitatus, quantum vellet. Quum igitur verborum: *quid est aliud — largiri?* haec sit sententia, Antonio qui Galliam decernat, eundem omnia ad bellum civile hosti arma largiri, non per appositionem explicat *arma* quid intelligat; sed intellecto verbo *largiri* per *largiri nervos belli, pecuniam et equitatum* etc. illustrat, quid sit *Galliam decernere Antonio*, ut appareat, quo sensu Gallia decreta omnia ad bellum civile arma nactus dici possit. Quod quamvis sententia ab ea, quam improbavimus, constructione vix quidquam differat, ipsa tamen constructio ad eam, quam scriptor secutus est, normam est exigenda. Est igitur verborum: (*largiri*) *primum nervos belli, pecuniam infinitam, deinde equitatum, quantum volet*, eadem prorsus ratio, quae in loco supra laudato Phil. II. 2. verborum *tollere amicorum colloquia absentium.*

Quod in locis supra laudatis a melioribus editoribus recte sublatum esse diximus vitium, idem adhuc haerere videtur, Cic. Phil. III. 8. 21. *Quid est aliud, se ipsum hostem judicare, n i s i de eo referre non audere, qui contra se consulem exercitum duceret?* Hoc enim dicit Cicero, Antonium, quum de Caesare non ausus sit ad senatum referre, sed ne verbum quidem fecerit de Caesare, qui contra eum exercitum ducat, eo ipso se hostem judicasse. Illud igitur, *non audere referre* etc., quam vim haberet, erat explicandum. Nimirum idem est atque se ipsum hostem judicare. Haec autem inversa apparent in lectione vulgata; quasi explicari debuerit, quid esset *se ipsum hostem judicare;* quam quidem explicationem si accuratius examinaveris propter insertam particulam eodem vitio laborare deprehendes, de quo supra diximus ad Cic. Pis. 20. Nam quo tandem jure illud: *se ipsum hostem judicare* in hoc uno cerni dicetur, si quis de eo referre non audeat, qui contra se consulem exercitum ducat? Sed attulit Orellius, quum in contextu locum ita exhiberet, ut supra est scriptus, in notis inversum a quibusdam membrorum ordinem: *quid est aliud de eo referre non audere, qui ... duceret, nisi se ipsum hostem judicare;* quam lectionem addito siglo critico admodum esse memorabilem, receptae fortasse anteferendam, ulteriore utique examine dignam significavit. Utrumque ordinem rectum esse dicit, sed difficiliorem a se esse praelatum, etsi inducendum videatur *nisi*, ut Pis. 20, ubi *nisi*, Phil. II. 4, ubi *quam* ab interpolatoribus sit intrusum. Possis quidem etiam servato vulgari ordine, sed trajecta ante prius membrum particula (ut Phil. II. 4. vid. p. 18. not. *)) eandem quam loci natura flagitat, sententiam restituere, (*quid est aliud, nisi se ipsum h. jud.* etc.) ut subjectum, ad quod formula *quid est aliud* (praedicati loco) referatur, in fine sententiae adjiciatur. At multo majore cum emphasi deleta particula singula membra efferuntur; qua ante posterius membrum servata, ut sententia eliciatur loci naturae accommodata, neque demonstrari poterit, *nisi* hic idem valere, quod in loco Cic. Off. III. 13. supra commemorato verba *si hoc non est*, neque statuere licebit, Ciceronem verba *nisi de eo referre non audere* etc. cum verbis *quid aliud*, subjecti loco positis, constructione jungi voluisse. Qua constructione si usus esset, ambiguitatis crimen vix effugeret, de quo diximus ad Phil. II. 4. Praeterea, ne sic quidem idonea nasceretur sententia: Nam *nihil aliud, nisi de eo referre non audere, qui contra se consulem exercitum ducat, esse se ipsum hostem judicare*, haud magis recte diceretur, quam quod in vulgata scriptura legitur: *se ipsum hostem judicare*

esse nihil aliud nisi de eo referre non audere etc., de cujus sententiae absurditate supra dictum est. *)

§. 13. Sed quam hic expelli jubemus particulam recte tuebimur aliis in locis, in quibus etiam, quae esse videtur, membrorum inversio habet, quo se defendat. Cic. Sen 2. *Quid enim est aliud, gigantum modo bellare cum Diis, nisi naturae repugnare?* Dixerat Cato in praecedentibus: »se naturam, optimam ducem, tamquam Deum, sequi eique parere, a qua non verisimile sit extremum actum aetatis esse neglectum. Quum autem necesse fuerit esse aliquid extremum, hoc molliter ferendum esse sapienti.« Inde videtur in sequentibus, in quibus declaraturus erat, cur naturae non esset repugnandum, dici debuisse: *naturae repugnare nihil esse aliud, nisi gigantum more bellare cum diis*, ita ut illud per hoc explicaretur, non contra. Sed quum supra naturam ipsam Deo aequiparasset, patet etiam *bellum cum Diis* et *repugnare naturae* potuisse ita aequiparari, ut eodem jure gigantum modo bellare cum Diis nihil aliud esse diceretur, nisi naturae repugnare, quo, inverso ordine, diceretur: *repugnare naturae* nihil esse aliud, nisi gigantum more bellare cum Diis. Hoc autem ut subjecti loco efferret, ea videtur fuisse causa, quod, quum dicere vellet, quo nomine illud *naturae repugnare* esset reprehendendum, majore cum vi ab hoc ipso (*gigantum modo bellare cum Diis*) sententiam ordiretur. Hoc enim vult, ut, si gigantum modo bellare cum Diis nihil aliud sit nisi naturae repugnare, bellare autem cum Diis improbum sit et impium, alterum quoque pariter improbum et impium esse colligatur. Idem cadit in locum de Div. II. 36. *Quid est aliud, nolle moneri a Jove, nisi efficere, ut aut ne fieri possit auspicium, aut si fiat videri?* Locutus erat de iis qui efficerent, ut aut ne fierent auspicia, aut, si fierent, viderentur; ut si quis lectica operta iter faceret, ne auspiciis impediretur, vel si quis jumenta disjungeret, ne juge auspicium obveniret. Hoc igitur quid esset, vel quam ob causam esset improbandum, declarandum videbatur. Quam ob rem quae l. l. leguntur, videri possunt non eo, quam sententiae ratio postulet, ordine elata. Quum autem utrumque recte dicatur et illud *nolle moneri a Jove* (monente sc. per auspicia et auguria) eorum esse, qui fugiant auspicia, vel efficiant, ut aut ne fieri possint auspicia, aut si fiant videri; et hoc: *efficere ne ... videri, esse nihil aliud nisi nolle moneri a Jove* sive eorum esse, qui nolint moneri a Jove; haec duo igitur quum prorsus aequiparentur, ad sententiam nihil intererat, utrum subjecti, utrum praedicati loco poneret. Eum autem, quem propter praecedentia exspectes, membrorum ordinem invertit, et subjecti s. definiendi loco posuit id, quod praedicati s. definitionis locum tenere debuisse videatur, quo majore cum vi et emphasi hoc *nolle moneri a Jove*, i. e. ea impietas propter quam auspiciorum neglectio esset reprehendenda, notaretur. Eandem enim hic quam in loco de Sen. 2. argumentationem concludi apparet. Quibus in locis si quis particulam *nisi* vellet tollere, et posteriorum membrorum constructionem ad locorum supra laudatorum similitudinem refingere, orationi accederet vehementia quaedam indignationis, a sedatiore, qui est in his locis, disputationis sermone aliena. Intactos igitur hos locos relinquamus.

---

*) Weissenbornius in gram. lat. §. 466. allato hoc loco, in quo vulgatam scripturam sequitur, in ejusmodi constructionibus interdum invertenda esse membra censet. Cujus inversionis quae sit ratio, non expedivit. Nobis hoc quidem loco parum probabilis videtur haec inversio.